

probari. Verum tamen, ut intelligo, cavebat magis Pompejus, quam timebat, non ea solum, quae timenda erant, sed omnino omnia, ne aliquid vos timeretis. Oppugnata domus C. Caesaris, clarissimi et fortissimi viri, per multas noctis horas nunciabatur. Nemo audierat tam celebri loco, nemo senserat. Tamen audiebatur. Non poteram Cn. Pompejum, praestantissima virtute civem, timidum suspicari: diligentiam, tota republica suscepta, nimiam nullam putabam. Frequentissimo senatu nuper in Capitolio senator inventus est, qui Milonem cum telo esse diceret. Nudavit se in sanctissimo templo, quoniam vita talis et civis, et viri, fidem non faciebat, nisi, eo tacente, res ipsa loqueretur.

XXV. Omnia falsa, atque insidiosae ficta comperta sunt. Quodsi tamen metuitur etiam nunc Milo, non hoc jam Clodianum crimen timemus, sed tuas, Cn. Pompei, (te enim jam appello ea voce, ut me audire possis) tuas, tuas, inquam, suspiciones perhorrescimus. Si Milonem times, si hunc de tua vita nefarie aut nunc cogitare, aut molitum aliquando aliquid putas: si Italiae delectus, ut nonnulli conquisitores tui dicitant, si haec arma, si Capitolinae cohortes, si excubiae, si vigiliae, si delecta juvenus, quae tuum corpus domumque custodit, contra Milonis impetum armata est, atque illa omnia in hunc unum instituta, parata, intenta sunt: magna in hoc certe vis, et incredibilis animus, et non unius viri vires atque opes indicantur, si quidem in hunc unum et praestantissimus dux electus, et tota respublica armata est. Sed quis non intelligit, omnes tibi reipublicae partes aegras et labantes, ut eas his armis sanares et confirmares, esse commissas? Quodsi Miloni locus datus esset; probasset profecto tibi ipsi, neminem unquam hominem homini cariorem fuisse, quam te sibi: nullum se unquam periculum pro tua dignitate fugisse: cum illa ipsa taeterrima peste se saepissime pro tua gloria contendisse: tribunatum suum ad salutem meam,